

Secundum Argumentum contra orthodoxam sententiam pag. 15.
est tale:

Quicumq; explicat locum Rom. I, 16. Verbum DEi esse potentiam
salvandi credentes, non Induratos resistentes nec credituros;
ille habet Spiritum Calvinianum.

Atqui, quos impugnat, id faciunt.

Ergo.

Respondeo ad *Majorem* κατ' ἑξῆς: D. Paulus θεόπνευστος docet:
Verbum Dei esse potentiam salvandi credentes. E. D. Paulus habet
Spiritum Calvinianum. (Quæ blasphemia?) Consentunt inter-
pretationi Rechenbergianæ, quæ est ipsius Spiritus S. in terminis,
„B. Varenius ad Rom. p. m. 105. Porro uti δύναμις θεῶν s. virtus salvan-
di credentes, ratio ponitur illius non erubescentiæ Evangelicæ; ita
„Evangelium talem esse δύναμιν θεῶν salvandi solos credentes, proba-
„tur ex apocalypsi iustitiæ ἐκ πίστεως εἰς πίστιν p. 107. Evangelium est poten-
„tia Dei ad salutem eaq; unica, & talis non est, NB. nisi omni & soli cre-
„denti. p. 109. Evangelium non salvat agentes, sed credentes, incredu-
„lis quippe est odor mortis ad mortem 2 Cor. II, 15. Ita & B. Seb. Schmi-
dius ad Rom. p. m. 71. Hunnius ad Rom. p. m. 90. E. hi Theologi censen-
te Facultate Theologica Rostoch. cum Niehenckenio Calvinizarunt? Ex-
cipit Niehenckius:

Ergo ex hac Rechenbergii (quæ tamen est ipsius Pauli) hypothese, Ver-
bum DEi respectu infidelium & induratorum non est potentia
DEi?

Resp. Committitur fallacia divisionis: Est potentia non salvandi ex culpa in-
fidelium & induratorum resistentium; est tamen potentia ad alium finem,
qui est arguendi & damnandi induratos, Joh. XII, 48. Audiamus Tar-
novium Theologum Rostochiensem orthodoxum in *Comment. ad Mich.*
„Cap. II. p. 930. Verbum DEi in bono corde vitam NB. in malo mortem
„operatur, nulla sui, sed audientium culpa. Item Sol suis radiis alia
„animalia illuminat, noctuarum oculos excæcat: Sic eadem Verbi divi-
„ni fax habenti dat, qui non habere vult, ab illo, etiam aufert, quod
„habet & occæcat illius populi oculos, qui illuminari nolunt. Matth.
XIII, 13. 14. 15. Joh. XII, 37. 40. &c. Ceterum commendo Dn. Censori An-
notationem B. Dn. Joh. Qvistorpii ad Rom. I, 16. Quamvis verbum Dei
efficax